

*Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi.* Cum hic domicilium Romae multos jam annos haberet, professus est apud praetorem, Q. Metellum familiarissimum suum. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius; caussa dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracchi, potest? Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate, et religione, et fide M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire: non audivisse, sed vidisse: non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines: hujus judicii caussa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interiisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare: et, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem iudicis solere corrumpi, desiderare. At domicilium Romae non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit. At non est professus. Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione, collegioque praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset; Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quae cum ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus?